



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1859

XXVIII. Kaiser Karl IV. stiftet ein Domstift in der Johanniscapelle auf dem
Schlosse zu Tangermünde, am 13. Juni 1377.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54934)

mine prepositure habet percipere seu leuare, reliquos autem omnes fructus, redditus et prouentus recipi et leuari volumus ut premittitur per Capitulum sepedictum seu eum, cui annis et temporibus singulis decreuerit seu commiserit ut leuentur. Volumus autem et nostre intencionis existit, quod reliqui fructus, redditus et prouentus in distribuciones cottidianas conuertantur illis Canonicis et personis dicti Collegii duntaxat assignandas pro hiis diebus et horis, quibus diuinis eos contigerit interesse et non aliter nec ultra. Quam quidem diuisionem seu distributionem — — mensibus seu sex mensibus — — volumus per Canonicos et Capitulum ante dictos sepe, quo eorum in domino conscienciam oneramus, retinentes nobis tenore presencium plenimodam potestatem super dicta distributione cottidiana ordinandi, prout nobis si presencialiter ad dictum Collegium — — — — atque fidem presentes litteras per notarium publicum infra scriptum scribamque nostrum scribi et publicari mandauimus et sigillo nostro, quo quidem diu sacri Palatii apostolici Causarum Audit — — — — Acta in opido Nurenberg, Bambergensis Dyoceleos, in hospicio seu domo habitacionis discreti viri Vlrici dicti Stromer, oppidani predicti opidi, Anno a natiuitate dominica Millesimo trecentesimo Septuagesimo sexto, Indictione quarta decima — Pontificatus sanctissimi in Cristo Patris Domini nostri Domini Gregorii diuina prouidencia pape undecimi anno sexto, etc.

Gercken's Dipl. II, 260 — 270.

XXVIII. Kaiser Karl IV. stiftet ein Domstift in der Johanniscapelle auf dem Schlosse zu Tangermünde, am 13. Juni 1377.

Karolus quartus, diuina fauente Clemencia Romanorum Imperator et Bohemie Rex. Ad perpetuam rei memoriam. Dum inter archana pectoris nostri rite reuoluimus, dum oculis mentis prouida deliberacione conspiciamus, dumque Consciencie testimonio ponderamus, quanta virtute quantaque gracia nec non mirifica bonitate Deus omnipotens, cuius nutu reguntur celestia cum terrenis, misericorditer nos respexit, qui nostrum multorum annorum per spacia felicibus incrementis statum et nomen graciose pronexit, elegantissimis nos dotauit heredibus ac illustribus principibus, dominiis atque terris peculiare regnum nostrum Bohemie in diuersis locorum finibus magnifice dilatauit; Certe tanto forcius diuine Clemencie nos obnoxios et debitores inuenimus, quanto peramplius nobis ab eo non meritis nostris hec et alia beneficia liberaliter collata sentimus. Et ne de tantis large gratisque donatis et acceptis donariis obliuio vel ingratitude nos arguat, dignum intencio nostre mentis existimat et consonum arbitratur, ut ei, cuius sunt omnia, quique de nemine vnquam indigenciam vllam habet, graciaram debitas actiones agamus, et in eius laudem et gloriam cultum diuini nominis de bonis temporalibus, quibus lucrantur eterna, nobis ab eo collatis, deuocius augeamus. Ad laudem igitur, gloriam et honorem Omnipotentis Dei, nec non itemerate genitricis eius et Virginis sancte Marie in Castro Tangermunde super Albee fluuio, Diocesis Halberstadenfis, in quo nos et heredes nostri Marchiones Brandenburgenses ab ista parte Albee in antiqua Brandenburgensi Marchia tenemus domicilium principale, de sciencia et consensu Venerabilis Alberti, Halberstadenfis Episcopi, loci eiusdem Ordinarii, principis deuoti nostri dilecti, Capellam de nouo erigi et magnifici operis, preciosorum et aliorum lapidum ornamento fulcitam pro-

curauimus ad debitum confumari, quam eciam venerabilis Petrus, Archiepiscopus Magdeburgensis, habens ad hoc a loci ordinario legitimam potestatem, secundum Canonicas sanctiones personaliter in multorum Episcoporum et Prelatorum ac Principum et nobilium presencia consecrauit, Sanctorum Johannis Baptiste, Precursoris Domini, et Johannis Apostoli et Ewangeliste Patronorum eius, nec non multorum aliorum Sanctorum Reuerendas Reliquias in ea deuote recondens. In eadem namque Capella Prepositum et vndecim Canonicos, prebendas et redditus obtinentes, prout in sequentibus distingwetur, statuimus, Collegium facientes, qui uidelicet Prepositus pro tempore coercionem in Canonicos habeat, ipsique Canonici tenebuntur Preposito, qui pro tempore fuerit, in omnibus licitis et honestis, ac eciam hiis presertim ad diuinum cultum spectantibus, tanquam suo Prelato fideliter et realiter obedire. Hunc eciam modum subscriptum per eisdem prepositum et Canonicos dicte Capelle seu Collegii volumus et decernimus inuiolabiliter perpetuis temporibus obseruari, uidelicet quod tam prepositus quam singuli Canonici, qui pro tempore fuerint, in perpetuum esse teneantur in presbiteriatus ordine constituti, sintque Presbiteri priusquam de prebendis et huiusmodi beneficiis, quocies ea vacare contigerit, inuestiantur Canonicè seu ad ea quomodolibet admittantur. Idem eciam tam prepositus quam singuli Canonici teneantur et debeant facere et habere continuam et perpetuam residenciam ac singulis diebus singulas horas Canonicas in eodem Collegio seu Capella temporibus debitis sollempniter decantare. Nec cuiquam Canonicorum liceat quodcunque beneficium ecclesiasticum aliud obtinere, sed hoc solo duntaxat beneficio sit contentus, ut a curis aliis segregatus eo seruencius diuinis possit et debeat laudibus interesse. Et si quis ex eis aliquod beneficium ecclesiasticum acceptarit, ex tunc statim eo ipso Canonicus prebendatus Collegii seu Capelle esse desinat, et prebenda sua huiusmodi vacare realiter censeatur, nec ad hanc aut aliam ibidem de cetero quomodolibet admittatur. Redditi autem, quibus Capellam seu Collegium, nec non prepositum et Canonicos supradictos, qui pro tempore fuerint, in perpetuum dotauimus in subscriptis villis et locis proprietatis et domini Marchie Brandenburgensis, de nostris promptis numeratis et solutis pecuniis comparati particulariter in sequentibus annotantur, uidelicet in villa Ynsel duodecim frusta. Item in Swarteloze unum et dimidium frustum. Item in Sloytze quatuor frusta et duos solidos in denariis et blado. Item in Norstede vndecim frusta et quatuor solidos in denariis et blado. Item in Roketze quinque frusta et quinque solidos in denariis et blado. Item in Milterde quinque et dimidium frusta et tres solidos in denariis et blado. Item in Otterspurch sex et dimidium frusta in denariis et blado. Item in Volekfelde duo et dimidium frusta. Item in Welle quatuor frusta et sex solidos denariorum. Item in Gore triginta sex solidos denariorum. Item in Oftheren quatuor et dimidium frusta. Item in Borstal quinque frusta et unum solidum denariorum. Item in Holtzhufen duo frusta et tres et dimidium solidos denariorum. Item in Woltzke tria et dimidium frusta. Item in Buditz tria frusta et duodecim et dimidium solidos denariorum. Item in Parua Schwechten quinque et dimidium frusta. Item in Puwelingen quinque frusta et quinque solidos denariorum. Item in Rydfowe duo frusta et decem et octo denarios. Item in Rochow quinque frusta. Item in Westheren duo frusta et octo solidos denariorum. Item in Sydenwoltzke triginta quinque solidos denariorum. Item in Hufelitte duo talenta denariorum. Similiter de prouentibus et obuencionibus ecclesie parrochialis in opido Tangermunde ultra sustentacionem rectoris ibidem auctoritate sedis apostolice limitatam, prout in literis desuper confectis et datis plenius est expressum, triginta marcas Brandenburgensis ponderis et monete. De quibus redditibus et prouentibus superscriptis prepositus dicti Collegii seu Capelle qui

est vel pro tempore fuerit, decem et octo marcas dicti Brandenburgensis ponderis et monete singulis annis in terminis census predicti consuets, videlicet denariorum seu pecuniarum medietatem in festo Sancti Martini Episcopi, aliam vero medietatem in festo beatorum Philippi et Jacobi, et quantum de dictis redditibus in blado consistit, totum in festo Sancti Martini leuabit, percipiet et habebit. Refiduum vero censuum, reddituum et prouentuum predictorum in usus singulorum Canonicorum dicte Capelle ad eorum sustentacionem cottidianam et victum equali diuisione distribuendum et semotis impedimentis quibuscumque decernimus conuertendum, ultra ea, que de aliis bonis et prouentibus nostris dictis Capelle, Collegio, preposito et Canonicis sumus auctore Deo successu temporis largituri. Insuper Capella siue Collegium nec non prepositus et Canonici supradicti in villis et bonis superius nominatis solum census, redditus et prouentus, superius per partes distinctas leuabunt, percipient et habebunt. Quos tamen redditus et prouentus submittimus et subiicimus et supponimus plenarie libertati nobis heredibus et successoribus nostris Marchionibus Brandenburgensibus, qui pro tempore fuerint, superioritatem et directum vtileque dominium in villis, hominibus et bonis eisdem cum temporali iurisdictione plenissima seruantes. Inuestitura vero et Canonica institutio prepositi dicti Collegii seu Capelle ad Episcopum Halberstadensem, qui pro tempore fuerit, Canonicorum autem predictorum ad prepositum eiusdem Collegii vel Capelle perpetuo pertineant. Sed et Jus patronatus seu presentandi tam prepositum quam Canonicos ad preposituram et prebendas Capelle seu Collegii eorundem, quociens huiusmodi beneficia vacare contigerit, nobis, heredibus et successoribus nostris Marchionibus Brandenburgensibus in perpetuum specialiter seruamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostre erectionis, fundationis et dotationis paginam infringere seu ei quouis ausu temerario contraire. Si quis autem contrarium attemptare presumpserit, ultra hoc, quod omnipotentem Deum, se nouerit nostram et dictorum heredum et successorum nostrorum Marchionum Brandenburgensium indignacionem grauissimam incurrisse. Signum serenissimi Principis et Domini, domini Karoli quarti, Romanorum Imperatoris inuictissimi et gloriosissimi Bohemie Regis. Testes huius rei sunt Illustres Wenzeslaus Saxonie et Lunenburgensis Dux, Sacri Imperii archimarescallus, Sigismundus Marchio Brandenburgensis, Sacri Imperii Archicamerarius, Principes Electores. Venerabiles Albertus Halberstadenfis, Gherhardus Hildeffemensis et Theodoricus Havelbergensis Episcopi. Spectabiles Otto de Anhalt, Gheuehardus de Mansfelt, Conradus de Wernyngrode, Burchardus de Regenfeyn et Guntherus de Barbey Comites. Nobiles Petrus de Wartemberg, dictus de Cost, Imperialis Curie nostre magister, et Johannes de Cottebus, nec non plures alii nostri et Imperii Sacri Principes, Comites, nobiles et fideles presencium sub imperialis nostre maiestatis sigillo testimonio litterarum. Datum Tangermunde, anno Domini M^o. CCC^o. Septuagesimo Septimo. Indictione quinta decima, Idus Junii, Regnorum nostrorum anno Tricesimo primo, Imperii vero vicesimo tercio.